



74.

14

D. IO. CHRIST. ESCHENBACH,  
PROF. IVR. P. O. ET ACADEMIAE RECTOR,  
CIVES O. O. H.  
EXCITAT,

1785, 7.

VT

# SACRA PASCHALIA

PIA ET GRATA MENTE,  
PROVTI CHRISTIANOS DECET,  
TRANSIGANT.



ADIECTA COMMENTATIONE

DE

# INQUISITIONE SVMMARIA.

P. 219



P. P. D. XXVIII. MART. MDCCLXXXV.

ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.



D. IO. CHRIST. ESCHENBACH  
PROF. IVR. P. O. ET ACADEMIAE RECTOR  
CIVIS O. H.  
AUCTOR

VI

# SACRA PASCHALLIA


ET GRATIA NEMPE  
TROVATI CHRISTIANOS DECEAT

TRANSGANT

ADRECTA COMMENTATIONE

DE

# INQUISITIONE SYMMARIA




IN ACADEMIA SACHS. PAL. LIBRARIIS

1750  
GEORGIIS ABBATIBUS






DE  
INQUISITIONE SUMMARIÆ



§. I.

 *Quam necessitate urgente sibi vindicarunt Icti, Constitutionem Criminalem Carolinam sup-  
plendi licentia, natales dedit distinctioni pro-  
cessus inquisitorii in summarium \*) et sollennem, quam lex ipsa  
ignorat. Dubio scilicet caret, modum illum procedendi, in cri-  
minibus grauioribus poena capitali, fustigatione, similitue coer-  
cendis vitatum, delictis leuioribus, carcere aliquot dierum vel  
multa*

A 2

multa



multa expiandis, non conuenire. Inde factum est, vt vnanimi fere consensu \*\*) reciperetur distinctio ista, postquam primum propofita erat \*\*\*) , a Ictis recentioribus. Comprobarunt eandem calculo suo BEYER ad C. C. C. art. VI. §. 4. sqq. KRESS ad C. C. C. art. VI. §. 7. LEYSER Spec. 560. m. II. sqq. SCHAUMBURG in princ. prax. Lib. II. Cap. IX. §. 14. BOEHMER in elem. iurispr. crim. Sect. I. §. 86. atque in Obs. ad Carpz. Qu. 107. Obs. I. MEISTER in princ. iur. crim. §. 553. HELLFELD in iurispr. for. §. 2012. QVISTORF in den Grundsätzen des peinl. Rechts §. 589. PÜTTMANN in elem. iur. crim. §. 753. et NETTELBLADT in diff. de sentent. condemn. sine praeu. inquis. speciali §. I. (a). Desicit interim adhuc commentatio, quae differentias, quibus vtraque inquisitionis species distinguitur, in vnum collectas exponat: et quae in auctoribus iis praesertim, quae processum criminalem tradunt, passim afferuntur, multis modis a se inuicem discrepant. Operae itaque pretium non defuturum existimo, quam in colligendis examinandis et suppleendis his assertionibus impendi. Equidem praeuideo, omnium assensum in eiusmodi quaestionibus arbitrariis exspectari non posse: facilius interim consentiemus, si cuncta, quae huc pertinent, coniunctim ponderantur, quam si alia pertractando obiter thesin quandam tangimus.

\*) Non confundenda est haec distinctio cum distinctione processus criminalis in ordinarium et summarium, in libris antiquiorum Ictorum obuia, qui processum accusatorum ordinarium inquisitorum contra summarium appellant. CARPZOV, Qu. 103. nr. 17. Neglexerunt illam merito recentiores, quum haec denominationes non modo suo perfluae


perfluæ sint, sed etiam nostris temporibus cognomen processus ordinarii accusationibus minime conueniat, et recte monente BOENMERO ad Carpz. *Qu. 103. Obs. 3.* cognomen processus summarii facipius in inquisitorio conclusionibus erroneis occasionem præbuerit.

\*\*\*) Nemo quidem, quantum scio, eandem diserte improbauit; sunt tamen, qui illam suam facere adhuc dubitarunt, e. g. ENGAU in *elem. iuris crim. Lib. II. Cap. 6. n. 12.* KNORR in *der Ant. zum gerichtl. Proceß, Lib. III. Cap. 10.* PFFENDORF in *inrod. in proc. crim. Luneb. Cap. 3. 4. 6. 9.*

\*\*\*\*) Res ipsa antiquioribus lctis non plane incognita est: distinguunt potius delicta grauiora a leuioribus, quoties de competentia iudicis inferioris, incarceratione suspecti, examine ad articulos et mediis eruendi veritatem quaestio incidit. Nomen itaque et extensionem ad reliqua processus capita recentioribus tantum debemus.

## §. 2.

Summariam inquisitionem dicunt, quæ in delictis leuioribus locum inuenit, fundamento diuisionis ab obiecti differentia desumpto \*). Si contra formæ rationem habeas, summaria appellari potest, in qua cuncta, quæ ad substantialia processus criminalis referri nequeunt, vel incommodum ipsa poena maius continent, exculant. Quoad prius membrum cum processu summario civili conuenit: quoniam interim inter causas civiles atque criminales, l uiores licet hæc sint, illud adhuc discrimen intercedit, quod existimatio eius, qui criminis dolosi conuictus habetur, sæpissime inde diminutionem patiat, intuitu defensionis nonnunquam ab iis principiis recedendum erit, quæ in processu civili summario feruantur, quoties scilicet factum illicitum et dolus inculpati dubium



quoddam adhuc admittunt. Posterius membrum ex indole processus inquisitorii facile deriuatur: cum enim, qui propter delictum leuius poena vel pecuniaria vel carceris aliquot dierum vel septimanum afficiendus est, nec tormentis subiici, nec durante inquisitione longo carcere detineri posse, per se patet.

\*) Ita auctores, quos §. I. laudavi: ab iis quodammodo recedit CLAU-  
 ZORN in der Einleit. in sämtl. summar. Prozesse 1. Grundr. Nr. 1.  
 et KOCH in instit. iur. crim. §. 72. Prior distinctionem quidem  
 probat et modo consueto explicat: addidit autem: „Disciplin-  
 „sachen, bloße Frevl, die eine gelinde Züchtigung oder Geldbuße  
 „nach sich ziehen, Vergebenen die vor die Land und Forstgerichte  
 „gehören, machen gar keinen Gegenstand der peinl. Untersuchung  
 „aus: sondern es wird ohne alles umständliche Verfahren blos die  
 „Wahrheit der Beschuldigung untersucht und hiernach eine Strafe  
 „bestimmt.“ adeoque tertiam quandam speciem inquisitionis, a  
 summaria et solenni diuersam, aut processum inter civilem et cri-  
 minalem intermedium statuere videtur. Sed hanc limitationem pro-  
 bare nequeo: aut enim hac exceptiones ad processum iudicarium  
 omnino referri nequeunt, quales sunt causae disciplinares, quo casu  
 eorum mentio superflua est: aut peculiaris procedendi modus legi-  
 bus vel consuetudini prouinciae cuiusdam domesticis innititur, quod  
 in delictis forestalibus plerumque locum inuenire non nego, tunc  
 vero ad ius criminale commune haud pertinet eiusmodi exceptio:  
 aut certe legali cognitione indigent, antequam sententia condem-  
 natoria ferri possit. Commode quoque hac distinctione carere pos-  
 sumus, si eam tantum habet differentiam specificam, quod sine mul-  
 tis ambagibus sola veritas facti indagetur, eique conformiter poena  
 determinetur: idem enim et in inquisitione summaria seruatur.  
 Alter, KOCHIVS, generalem et summariam inquisitionem confun-  
 dens, vtriusque praedicata ita combinauit; „Inquisitorii processus  
 inquit,



7

inquit, duae partes sunt, generalis s. minus sollemnis et specialis  
 „s. sollemnis inquisitio. Generalis inquisitio in genere inuestigat,  
 „an, a quo et quibus sub circumstantiis delictum sit commissum:  
 „specialis aduersus ipsam iudicis legitimis grauata personam di-  
 „rigitur et ab articulata interrogatione orditur. Illa in delictis  
 „lenioribus locum habet et a iudice etiam inferiori instituitur:  
 „ad hanc in iis delictis demum deueniri potest, quae relegationis  
 „solum poenam merentur et iudicem criminalium exposcit.“ Quam  
 vero, fatente ipso auctore, generalis inquisitio, cuius indolem  
 postea vni loquendi vulgo recepto conformiter explicat, in gene-  
 rali inuestigatione, an, a quo et quomodo delictum commissum  
 sit, subsistat; inquisitio vero summaria specialiter contra certam  
 personam dirigatur, huiusque examen exactius requirat, sententiam-  
 que condemnatoriam contineat, quae pars inquisitionis generalis  
 dici nequit; his quoque assertis calculum adicere non possum.

§. 3.

Eidem, quae distinctionis fundamentum suppeditat, inspe-  
 ctioni duplici commode quoque reliqua tractatio superstrui potest.  
 Explicatione enim quaestionum, I. In quibus delictis summaria in-  
 quisitio locum habeat? et II. Quomodo modus procedendi ab in-  
 quisitione sollemni differat? euncta \*) absoluantur, quae ad per-  
 sciendam peculiarem huius inquisitionis summariae indolem pertinent.

\*) Superfluum ducio quaestionem? Num inquisitio summaria iudicis  
 inferioris tantum an etiam superioris sit? Quam enim extra Saxo-  
 niam sine iudiciorum criminalium, inferiora et superiora quae vo-  
 care solent, pro diuersitate prouinciarum multis modis variant, ge-  
 neralis responso dari nequit, sed potius in quouis casu singulari li-  
 mites ex litteris concessionis et consuetudine tum regionis tum cuius-  
 liber

libet fori diiudicandae sunt. Eam inferioribus iudiciis propriam esse, haud videtur.

#### §. 4.

Ad quaestionem primam vna omnium est responsio, hanc inquisitionem summariam in delictis leuioribus locum inuenire: si vero ulterius disquiras, quaenam sint illa delicta, quae leniora nominari debet, nec conformem nec sufficientem explanationem deprehendes. Alii poenae rationem habent, alii ipsa delicta huic speciei propria enumerare satagunt, alii vtrumque coniungunt. Ex iis qui poenas respiciunt, MEISTER §. 647. SCHAVMBVRG l. c. KOCH l. c. LEYSER l. c. m. 15. alique omnia delicta relegatione saltem coercenda sollenni inquisitioni referunt: QVISTORP §. 646. 665. poenam corporis afflictivam, et CLAPROTH l. c. I. Grundr. Nr. 1. §. 1. condemnationem ad operas publicas, relegationem, infamiam, et similia nonnisi praeuia sollenni inquisitione decernenda esse docent: numellas neutri speciei proprias esse obseruat LEYSER l. c. Ex iis, qui delictorum species hunc in finem recensent, SCHAVMBVRG l. c. causas stupri et furti minoris inquisitioni summariae mancipat, quibus LEYSER l. c. vulnera non lethifera et vsurariam prauitatem, et CLAPROTH l. c. stellionatum, iniurias, (nisi personis illustribus inferantur,) pleraque crimina extraordinaria iuris Romani, atque simplicem concussionem addidit.

Me quidem iudice casus huc spectantes ex poena diiudicare praestat. Poenae enim numero pauciores sunt: nec tantam admittunt varietatem, quanta in delictis ipsis deprehenditur: delictorum  
contra

contra plures dantur species: et ex iis, quae grauiora appellare  
confueuimus, vix vllum est, quod simul leuius dici nequeat, si  
dolus absit, aliaue mitigandi causa adhuc accedat, vt itaque diffi-  
cile sit, in abstracto certi quidquam definire \*). Parum aberat,  
quin generalem regulam formarem, quamlibet poenam criminalem  
sollemnem inquisitionem requirere, poenam non criminalem contra  
post inquisitionem summariam recte decerni: quum vero poenae  
quaedam vulgo criminales vocentur, quibus ego hanc denominatio-  
nem non omnino conuenire existimo, omitta hac distinctione,  
poenas ipsas recensere satius duco. Et quidem has regulas pro-  
ponerem:

I. *Omnis poena capitalis sollemni inquisitioni propria est.*  
Ipsa distinctionis indoles et scopus hoc abunde euincunt, omnes-  
que, quantum scio, mecum consentiunt, nisi forsan NETTEL-  
BLADTIVM in *diff. iam cit.* dissentientem nomines; cuius asserta,  
quum directe regulam propositam haud impugnent, hic expendere  
superfedeo.

II. *Quaeris poena infamans, imprimisque sustigatio, \*\*)*  
non nisi praecua sollemni inquisitione irroganda. Tantus enim est  
infamiae effectus, vt exactissimam causae cognitionem poscat;  
vnde et hic, quotquot eius mentionem fecerunt, consentientes  
habeo.

III. *Condemnationem ad ergastulum inquisitioni sollemni vin-  
dicandam censeo.* Licet enim cum infamia coniuncta haud sit, ex-  
istimationi tamen nocet, et maximam rei familiaris disturbance-  
operatur. Exceptio erit in personis vilioribus, ad modicum tempus  
inclusis, quoties posterius incommodum cessat.

B

IV.



IV. *In remotione ab officio distinguendum est, num propter dolum commissum, an propter imperitiam, negligentiam aut scandalum fiat.* Priori casu sollemniter inquirendum esse nullas dubito, quum, qui in administrando munere publico dolose versatus est, postea ab aliis muneribus recte arceatur, et in reliquis quoque negotiis subleste habeatur fidei: adeoque haec poena leuioribus accenseri nequeat. Quod ad reliquos casus dubius adhuc haereo: eundem effectum quidem non habet dimissio, et saepius damnum haud ita magnum infert; fieri tamen etiam potest, ut inde maximum oriatur infortunium; adeoque et in his distinctio adhuc accedat, necesse est.

V. *In relegatione, siue perpetua sit, siue temporaria, itidem distinguendum esse censeo, num relegandum ad inopiam redigere possit, an mutatio domicilii parum incommodi afferat: hic summaria, ibi sollemnis inquisitio adhibenda.* Dissidentibus hic habeo plurimos; quum vero sollemnis inquisitio adhiberi non debeat, ubi incommodum poena subsequenti maius est, in omni relegatione quoque locum inuenire nequit. Qui cum relegatione perpetua infamiam ipso iure coniunctam arbitrantur, QVISTORP. §. 28. MEISTER in der vollständ. Einleit. zur peinal. Rechtsgelahrth. 2. Hauptst. §. 5, aliique, peculiare adhuc dissensus argumentum inde deriuabunt: sed de veritate suppositi magnopere dubito.

VI. *Numellae, carcer et multae non nisi summarium processum requirunt.* Quoad numellas dissentit LEYSER Sp. 560. m. 16. 17: sed rationem sufficientem haud exhibet. Longior carcer, rarius licet obueniens, excipiendus videtur. Qui multas, poenae corporis afflictivae furrogatas vel aequipollentes statuunt, easque poenis crimina-



criminalibus annumerant, limitationem regulae forsan inde deducant: sed multam poenae criminali nunquam aequalem esse, mihi quidem persuasum est \*\*\*).

Monendum adhuc, ad eam hic respici poenam, quae absoluta inquisitione generali delicto, quod commissum esse apparet, conueniens indicatur. Sicut enim recte procedit iudex, qui post commissum homicidium illum custodiae tradit, contra quem indicia legitima adsunt, licet postea appareat, hunc vel plane innocentem vel moderamine inculpatae tutelae usum esse: ita quoque in aliis speciebus a indice expectari nequit, ut futurum processus eventum praevideat, sed secundum ea, quae ex actis constant, solummodo iudicium ferre potest. Nec hanc difficultatem evitant, qui in determinandis casibus, ad inquisitionem summariam pertinentibus, delictorum varia genera dispiciunt.

\*) Exemplum praebet crimen falsi. Illud ad utramque speciem praediueritate facti referendum esse, dubio caret: quomodo vero classes huius delicti separandae sint, nullo negotio non expedies.

\*\*) Noane vero haec poena e foro penitus profliganda? Non videtur: datur enim casus, ubi vel utroque vel saltim alterutro sine excidunt, qui condemnationem ad operas publicas indistincte surrogant; et id tantum argumenta in contrarium proposita euincunt, ut rarius, ac maiores nostri solebant, haec poena decernatur.

\*\*\*) Omisi confiscationem bonorum et recantationem, quae a compluribus inter poenas criminales recensentur. Priorem enim ius criminale hodiernum commune ignorat, quicquid dicat MEISTER l. c. adeoque ab iis, qui nonnisi ius commune exhibent, recte omittitur: posterior vero poena non est, sed species satisfactionis priuatae et modus contumaciam coercendi; eamque ignominia comitari nequit, quum lex non adsit, quae hunc ei effectum tribuat.



## §. 5.

Transgredior ad quaestionem secundam, formam diuersam, qua ab inquisitione sollemni distinguitur, explicaturus: partesque processus inquisitorii ordine suo commemorabo, in qualibet disquisiturus, num vel ad extraessentialia reiicienda sit, vel malum poena asperius contineat.

I. Ratione competentiae fori discrimen statuunt nonnulli, quod in delictis lenioribus remissionem ad forum delicti penitus cessare existiment. CARPZOV. *Qu. IIO. nr. 66.* SCHORCH *Resp. 100. nr. 14.* QVISTORP. *§. 573.* atque in *den Beyträgen 4. St. Nr. 7. Pag. 121.* et, qui de remissione a iudice superiore imperata tantum loquitur, MARTINI in *comment. ad O. P. I. S. Tit. IX. §. 2. nr. 195.* \*) Sed rationes adductae parui ponderis sunt: qui ad leges iuris Romani prouocant, obliuiscuntur, forum deprehensionis et necessitatem remittendi facinorosos ex iure Romano diiudicari non posse; et qui remissionem tunc saltim necessariam iudicant, ubi incarceration in loco delicti fieri potuisset, thesina ex argumento, cui pariter probatio deficit, deducunt. Me quidem iudice remissio, si ius commune spectes, semper a voluntate eius pendet, a quo delinquens deprehenditur, FÜTTMANN *§. 737.* et ratio, ob quam rarius in delictis lenioribus fiat, in eo potius quaerenda, quod in his saepius poena pecuniaria locum inueniat, quem iurisdictionis fructum iudex deprehensionis alii aegre cedit.

II. In inquisitione summaria de necessitate haud requiritur, vt praeter iudicem et actuarium duo adhuc adsint scabini: sufficit potius, vt eodem modo iudicium constitutur, qui in causis ciuilibus


bus

bus obseruari solet. Haec enim scabinorum adiunctio, nostris certe temporibus, mere ad formam pertinet, omneque iudicium ita comparatum esse debet, ut eius fides non vacillet; quin si inculpatus indicem suspectum habeat, aliis remediis iuris utatur, quum praesentia duorum assessorum, saepius illiteratorum nec iuramento obstrictorum, hoc casu parum utilitatis promittat. Eandem sententiam tuetur CLAPROTH *l. c. Gr. I. Nr. 3. §. 2.*

III. Generalis inquisitio et inuestigatio corporis delicti in processu summario aequae necessaria ac in sollemni. Certitudo enim delicti ad essentialia inquisitionis pertinet, eiusque fundamentum est. Publica quoque securitas exigit, ne quis propter delictum, leuius licet, sine iusta causa in ius vocetur: maximisque abusibus occasio subministraretur, si iudici liceret, pro arbitrio inquisitionem summariam contra quemcunque instituire.

IV. Eandem ob rationem specialis inquisitio iustis deficientibus iudiciis decernenda haud est.

V. Citatio delinquentis, specialem inquisitionem <sup>\*)</sup>, sicuti quemlibet processum intuitu rei, inchoans, semper verbalis sit, nisi de vagabundo sermo est, cui fuga nihil incommodi affert. Saepissime maximum, quod sollemnem inquisitionem comitatur, malum est custodia rei durante processu: occasionem enim sibi et familiae victum quaerendi adimit, sanitati obest, defensionem difficiliorem reddit, existimationem minuit, et fumtus processus auget; quae cuncta, si nonnisi poena mediocris subsequitur, hanc longe superant. Eam itaque inquisitio summaria haud tolerat. Consentiunt FÜTTMANN *§. 803.* MEISTER *§. 614* alique complures.



VI. Examen summarium rei, quod in inquisitione solenni examen ad articulos antecedit, omitti potest: inter essentialia enim processus inquisitorii referri nequit. Utilitate tamen non penitus caret, si in generali inquisitione non omnes circumstantiae facti iudici innotuerint, et reus delictum haud insciatur.

VII. Defensio pro auertenda inquisitione speciali cessat, quoniam in causis summaris illis effectibus destituitur, quos, si auctoritati plurimorum interpretum iuris criminalis credis, in solenni inquisitione habet. Exceptionem interim fori declinatoriam vel peremptoriam opponere reus non prohibetur, has enim substantialia processus esse, vel me non mouente patet.

VIII. Articuli inquisitionales nominentur interrogatoria, QVISTORP §. 665. (ab aliis puncta nuncupantur, ENGA V Lib. II. §. 121. SCHAVMBVRG l. c. §. 18, ab aliis propositiones, PÜTTMANN §. 821. interrogatoriorum nomen interim magis placet.). Interrogationes ipsae deesse nequeunt, quum sine iis exacta responsio expectari nequeat: aliud cognomen interim loco articulorum inquisitionalium facile adhiberi potest, vt praedictum, quod ex responsione ad hos articulos vulgo fingunt, euitetur. Eandem ob causam nomen *Inquisiti* cesset. CLAPROTH Gr. I. Nr. I. §. 2.

IX. Responionem in scriptis personis egregiis concedit MELSTER §. 654. et PVEENDORF Cap. 14. §. 17. \*\*\* et indistincte procuratorem in causis lenioribus admittit BOEHMER ad Carpz. Qu. 105. Obs. 2. Sed hunc modum procedendi processui inquisitorio non conuenire eiusque scopum euertere persuasus sum. Reus qui in scriptis respondet, multis modis veritatem celare, et non modo



modo verba, quibus vtitur, longa meditatione ponderare, sed et rerum subtilem conuenientiam, vero assimilem, fingere valet: iudici facultas adimitur, interrogatoriis iam formatis alia, quae respon- siones rei postulant, extemplo addere: quin si reus incongrue respondet, multis protractionibus litis ansa praebetur. Compari- tionem itaque personalem, et responsonem oralem, quae in conti- nenti fit, retinerem, quum nihil ignominiae habere possit compa- ritio et responso coram iudice competente, quae etiam in quibus- dam capitibus processus civilis declinari nequit. Si quis personarum dignitate conspicuarum examen per depuratos vel commissarios extra locum iudicii consuetum instituire malit, hoc non penitus improbarem \*\*\*).

X. Contumaciam in respondendo per comminationem prae- iudicii confessi et conuicti coerceri posse, asserit CARPZOV Qu III. nr. 59. quod admitto, si qualitas delicti et poena inde imminens quodammodo certa sit, et ordinatio processus in ciuilibus hoc prae- iudicium probet. Sin alterutrum deficiat, multa vel citatio realis tutius adhibetur.

XI. Probatione per testes suscepta in vtraque processus specie eadem principia seruanda sunt. Licet praesentia inculpati in termi- no, vt testes iurare videat, vtrouique superflua videatur: examen ipsum tamen illi tempestiue denunciandum, vt plenariae inhabilita- tis exceptionem, si adsit, opponere, et interrogatoria exhibere possit. Haec, quum multum ad adiuuandam defensionem rei faciant, nunquam deneganda sunt, quamuis nonnulli eas quon- dam et in inquisitione solenni reprobant. Testes iniuratos in causis lenioribus admittit BOEHMER in elem. iur. crim. Sect. I. S. 86.



§. 86. sed asserti ratio me penitus fugit. Quum in causa civili iurandum necessarium sit, ad fidem testi conciliandam, in criminibus diuersam doctrinam defendere non ausim; maximos potius abusus securitati publicae nociuos metuo, si testimonium quoduis iniuratum admitteretur. Testium porro examen in inquisitione summaria ad principales circumstantias restringit QVISTORP §. 589. b. quod in sollemni ad minimas quoque extenditur. At ambiguitate dictionis haec doctrina laborat: omnes enim circumstantiae, quae vel ad formandam completam facti notionem requiruntur, vel ad augendum minuendumue reatum aliquid conferunt, in utroque processu attendendae sunt; reliquae in utroque negligantur.


XII. Confrontatio in inquisitione summaria utique locum habet, quum ad eruendum veritatem facti, et illustrandam probationem directa sit. Dissentit MEISTER in *den rechtl. Erkenntnissen in peinl. Fällen Dec. XVII, §. 32.* et cum eo omnes, qui inde maculam confrontando adspergi adstruunt: hanc vero rationem defendi non posse, in *progr. de defens. pro avert. confront. §. 4.* ostendi, adeoque et confectario adstipulari non possum.

XIII. Probatio per iuramenti delationem cesset. Vbi enim nulla indicia, ibi omnis inquisitio specialis in hoc etiam processus genere absit: vbi indicia legitima reperiuntur, iuramentum purgatorium adhiberi potest, siquidem decisionem religioni inculpati committere iudex non haesitat. MALBLANC *doctr. de iureiur. §. 45. \*\*\*\**.

XIV. Probationi ex indicis deriuandae eum in delictis leuioribus effectum tribuunt, ut licet plena dici nequeat, condemnato-  
riam

riam operetur sententiam. Ita inter alios ROEHMER in *Obs. ad Carpz. Qu. 114. Obs. 1.* MEISTER *Dec. 61. nr. 10. 12. et CLAPROTH 2. Gr. Nr. 2. b.* Sed a me impetrare non possum ut illorum sententiae subscribam. *Art. 22. C. C. C.*, ad quem provocant, (*Art. 16 et 69, item l. 5. D. de poenis* perperam allegantur,) non ad delicta maiora solum, sed etiam ad minora pertinere, nec vox *peinlich* adeo stricte accipienda videtur; sed supponamus, Imperatorem nonnisi de criminibus grauioribus cogitasse, argumentum tamen non procedit, in casu diuerso contrarium obtinere. Quis quaeso argumentum tolerabit: In *art. 77.* protractio litis in causis criminalibus (*peinlichen Sachen*) prohibetur: licita itaque est in delictis leuioribus. Neque maioris momenti est ratio quae a tortura, poenam minorem superante, et nihilominus solis indiciiis superstructa, desumitur: iudex enim, qui indiciiis legitimis grauatam torturae subiicit, definitiue haud pronunciat, sed medium eruendae veritatis adhibet: qui contra in delictis leuioribus ex indiciiis condemnat, fontem iudicat eum, qui neque confessus neque conuictus est. Magis placet argumentum a causis ciuilibus desumptum, in quibus, licet mediocres sint, nemo condemnatur, nisi probationes legitimae adsint: cur itaque in criminalibus aliter procedendum? Limitationes iam addidit QVISTORF §. 711. sed assertionem hanc, licet magnorum Ictorum auctoritate munitam, penitus repudiare satius duco.

XV. Defensionem principalem nec in leuioribus delictis cuiuspiam petenti denegandam esse, dubium non erit: ex officio tamen defensionem constituere, haud oportebit.



XVI. Inter media veritatem eruendi torturam locum non habere, in aprico est. Territionem realem \*\*\*\*\*) in iis locis, vbi tormentorum applicatio nondum abrogata est, admittendam censeo, si periculi iusta suspicio interuenit: haec enim malum poena ipsa maius dici nequit. In praefatione iuramenti purgatorii adhibito clerici tanquam formale cessat.

XVII. Ratione decisionis causa nulla adest differentia, nisi quod transmissio actorum, quae in causis grauioribus saepius adhibetur, hic ex officio raro decernatur. Sollemnis publicatio sententiae criminalis in conspectu populi cessat. Noua defensio, si petatur, non deneganda, quum et in causa civili remedia iuris cuius pateant: non tamen improbarem decretum iudicis, tertia vice petitam denegantis, praesertim si delinquens ipse sumtus ferre nequeat.

\*) Ulterius adhuc progressus est MEISTER in der vollständ. Einl. zur penal. Rechtsregel. 13 Hauptst. §. 32. omnia delicta leuiora iudici civili vindicans; hinc forum delicti commissi et deprehensionis, adeoque et remissionem delinquentis improbens. Quum in praecedentibus, quorsum probationis gratia lectorem ablegat, nihil, quod hanc opinionem adiuuare valeat, inueniam, hoc assertum commemorasse sufficiat.

\*\*) MEISTER Dec. X. nr. 3. inquisitionem specialem in processu summario penitus improbare videtur: sed contextus et auctores allegati euincunt, dictionem nimis generalem irrepuisse.

\*\*\*) Personis honestioribus in genere responsonem in scriptis permittere videtur PÜTTMANN §. 808. a. et 813 a.: omnem responsonem in hoc processu sub generali nomine examinis summarii comprehendens.

\*\*\*\*\*) Omissionem interrogatoriorum praeliminarium commendat BOERMER ad Carpz. Qu. 113. Obs. 1, et QVISTORP §. 665.: asserti rationem non perspicio.

\*\*\*\*\*)



\*\*\*\*\*) Cui tamen in eo haud assentior, quod recusatio iuramenti delati in causa ciuili condemnationem in criminali operetur, si poena minor est obiecto processus ciuilis. Conf. PVEENDORF in *Obs. iur. vniuers.* Part. IV. *Obs.* 93.

\*\*\*\*\*) Territionem verbalem inutilem habeo, quum qui eousque praefraete negauit, sola comminatione verbali vix adigatur, vt delictum confiteatur.

### §. 6.

Dixi §. 4., indicem in determinando processus genere ad eam solum poenam respicere posse, quae ab initio delicto conuenire videtur. Quid vero faciet, si postea in progressu cognitionis aliud certo appareat. Dubium meo quidem arbitrio habere nequit, quod modum procedendi immutare oporteat. Quodsi primum processum summario usus sit, deinde vero delictum, quod initio leue videbatur, grauius esse animaduertat, per se patet, poenam capitalem vel corporis afflictiuam maiorem nonnisi obseruatis iis, quae lege praescribuntur, dici poteri posse. Sin vero contrarium eueniat, nulla sane ratio dari poterit, ob quam processus solennis continuatio necessaria sit.



... Qui tamen in eo hanc assentionem, quod recalcitra insurrexerit delicti  
 in causa civili contentantur in criminali operum, & per hoc  
 non est obsequio processibus civilibus. Causa per hanc in O. m.  
 casu. Item in O. m.  
 ... In hunc modum veritas iustitiam habet, quam dei consilio pro-  
 dicitur. Quia consuetudines veteres vix adhibent, et deli-  
 ctum redduntur.

... in §. 4. indicium in determinando processu generis ad cam  
 solam potest respicere posse, quae ad iudicium delicti contentantur  
 videtur. Quid vero iuris, si potest in processu cognoscitur ad  
 casu operum. Dicitur namque quidem delictum habere non potest, quod  
 modum procedendi immutare oportet. Quod si hunc processum  
 immutatio non sit, deinde vero delictum, quod iudicium, in casu  
 hunc, quod est immutatio, per se hunc, hunc in casu  
 item vel corpore illi hunc maiorem hunc delictum sit, quod  
 leges respiciunt, delictum posse. Quod vero contentum cum  
 nulla hunc hunc hunc potest ob hunc processum solent contentantur  
 nec hunc sit.



133  
 P




ULB Halle  
004 517 601

3



TA → OL **f**  
nur 1+8 verknüpft







24.  
14  
1785,7

D. IO. CHRIST. ESCHENBACH,  
PROF. IVR. P. O. ET ACADEMIAE RECTOR,  
CIVES O. O. H.  
EXCITAT,

VT

# SACRA PASCHALIA

PIA ET GRATA MENTE,  
PROVTI CHRISTIANOS DECET,  
TRANSIGANT.



ADIECTA COMMENTATIONE

DE

## INQVIVISIONE SVMMARIA.



P. P. D. XXVIII. MART. MDCCLXXXV.



ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.

